TEMPVS.

C Erumpit à primo ſatu die ſeptimo, & caput alterum grani in radicem exit, alterũ in herbam. Metitur Auguſto menſe.

TEMPERAMENTVM.

Hordea primi ſunt ordinis in exiccando & refrigerando.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Hordeum optimũ eſt candidum, purumq;. Minus quàm triticum nutrit. Ptiſana tamen ob cremorem in elixatione redditum, plus alimenti præbet quàm polenta ex hordeo facta. Contra acrimonias atq; faucium ſcabritias, exulcerationesq; pollet, quibus etiam triticea ptiſana præſidio eſt, ſed plus alit, magisq; urinam mouet. Lac abundè ſuppeditat, ſi cum Fœniculi ſemine decocta ſorbeatur. Abſtergit, urinam ciet, inflat, ſtomacho aduerſatur, & œdemata concoquit. Farina hordeacea cum fico in mulſa aqua decocta, œdemata & inflammationes diſcutit. Duritias cũ pice, reſina & fimo columbino concoquit. Cum meliloto autem & papaueris calyce dolores finit qui latus excruciant. Aduerſus inteſtinorum inflationes, cum lini ſemine, fœnogræco & ruta illinitur. Strumas cum pice liquida, cera, oleo, & impubis pueri urina, ad concoctionem perducit. Cum Myrto autem, aut uino, aut ſylueſtribus pyris, aut rubo, aut malicorio, aluí profluuia ſiſtit. Podagricis inflammationibus cum cotoneis, aut aceto prodeſt. Decocta in acri aceto, modo quo hordeaceum cataplaſma, & calida impoſita, lepris medetur. Liquata eadem cum aqua, atq; cum pice & oleo decocta, pus excitat. Cum aceto autem liquata, & cum pice decocta, contra articulorum fluxiones prodeſt. Farina ex ijs aluum cohibet, inflammationesq; mitigat.

EX GALENO.

D Hordea pauxillum etiam abſterſionis habent. Paulò etiam plus deſiccant quàm farina fabacea, cui non inſint cortices. Cętera uerò ſimilia ſunt foris utentibus. In cibo autem hoc præſtant fabis, quod flatuoſam naturã exuant: fabis quantumcunq; que coxeris, flatuoſa natura remanet: ſunt enim craſsioris eſſentiæ quàm hordea, quamobrem ijs plus etiam nutriunt. Quoniam uerò ambo paulum à medio receſſerunt, multo ſunt uſui. Nam talia medicamenta multis alijs miſcentur ceu materiæ quædam: itaque etiam cera & oleum paucis medicamentis coniunguntur. Polenta uerò multo plus hordeo deſiccat. Plura de hordeo, ptiſana & polenta apud Galenum libro primo de alimentorũ facultatibus offendes.

EX PLINIO.

Farina ex hordeo & cruda & decocta, collectiones impetusq; diſcutit, lenit & concoquit. Decoquitur aliàs in mulſa aqua, aut fico ſicca. Ad iecinoris dolores eam in poſca poſitam cõcoqui opus eſt, aut cum uino. Cum uero inter coquendum diſcutiendumq; cura eſt, tunc in aceto melius, aut in fęce aceti, aut cotoneis pyriſue decoctis. Ad multipedũ morſus cum melle, ad ſerpentium in aceto & contra ſuppurantia, ad extrahendas ſuppurationes ex poſca, addita reſina & galla. Ad concoctiones uero & ulcera uetera cum reſina. Ad duritias cum fimo columbino, aut fico ſicca, aut cinere. Ad neruorũ inflammationes, aut inteſtinorũ uel laterum uel uirilium dolores, cum papauere aut meliloto, & quoties ab oſsibus caro recedit. Ad ſtrumas cum pice & impubis pueri urina. Cum oleo & fœnogræco contra tumores præcordiorum, uel in febribus cum melle, uel adipe uetuſto. Suppuratis triticea farina multo lenior. Neruis cum Hyoſcyami ſucco illinitur. Ex aceto & melle lentigini.

DE CRO-

CROCI FLORES Saffranblůmen.

CROCI FO